The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

Timor al

cum fontibus proximo et primis

Qui insidias timet in nullis incidet,

nec cito perit ruina qui ruinam timet,
et

caret periculo qui eciam tutus cauet.

Semper enim metuendo sapiens uitat malum.
Nam
inimicum quamuis humilem docti est metuere
iuxta illud:

Parua necat morsu spaciosum uipera taurum.
A cane non magno sepe tenetur aper.

Causa pusilla nocet; sapiens nocencia uitat.

Idem (Seneca) de sentenciis oratorum.

Timere ergo debes omnes insidias; dixit enim Seneca:
“Qui omnes insidias timet, in nullas incidet;”
et iterum idem ait:

→ “Semper metuendo sapiens vitat malum;”
unde alibi idem dixit:

“Non cito perit ruina, qui ruinam timet.”
Et licet videatur tibi, te bene esse tutum et in tuto loco,
nihilominus tamen tibi cavere debes.
Ait enim idem Seneca:
“Caret periculo, qui etiam tutus cavet.”
Et timere debes non solum magna, sed etiam modica et
← parva, et non solum magnos inimicos, sed etiam parvos.
Scriptum est enim:
“Inimicum, quamvis humilem, docti est metuere.”
Inde etiam Ovidius, De Remedio Amoris, dixit:

Parva necat morsu spatiosum vipera taurum;
A cane non magno saepe tenetur aper.

Et Pamphilus ait: Res tamen interdum grandia parva movet;
Ex minima magnus scintilla nascitur ignis, Et generat
parvum grandia principium. Et alibi:
Causa pusilla nocet, sapiensque nocentia vitat.

Albertanus Brixiensis, *Liber consolationis et consilii*, 32
(T. Sundby ed., pp.70-1, ll.14-24, 1-11).

Qui omnes insidias timet, in nullas incidit.

Publilius Syrus, *Sententiae* (H. Beckby ed., p.54, l.42).

Semper metuendo sapiens evitat malum.

Publilius Syrus, *Sententiae* (H. Beckby ed., p.58, l.24).

Non cito perit ruina, qui rimam timet.

Publilius Syrus, *Sententiae* (H. Beckby ed., p.42, l.4).

Caret periclo, qui, etiam cum est tutus, cavet.

Publilius Syrus, *Sententiae* (H. Beckby ed., p.22, l.31).

Inimicum quamvis humilem docti est metuere.

Publilius Syrus, *Sententiae* (H. Beckby ed., p.34, l.26).

parua necat morsu spatiosum uipera taurum; a cane non
magno saepe tenetur aper.

Publius Ovidius Naso, *Remedia amoris* (E.J. Kenney ed.,
p.243, ll.421-422).

Causa pusilla nocet sapiensque nocentia uitat,
ergo nos aliam conuenit ire uiam.

Anonymus, *Panphilus*, 281-2 (K. Bate ed., p.72).